

2. SUPREMO TRIBUNALE DELLA SEGNETURA APOSTOLICA, 18 marzo 2017, Prot. n. 52545/17 CA, Decreto, Ecc.mo Sig. X, Arcivescovo allora di N. – Pontificio Consiglio per i Laici, *di prescrizione penale e riparazione dei danni*.

Recursu hierarchico penes Pontificium Consilium pro Laicis proposito adversus decretum poenale ab Exc.mo D.no X, Archiepiscopo tunc N., in Cl.mum D.num Y die 27 februarii 2016 latum, Dicasterium pro Laicis, Familia et Vita, quod Pontificio Consilio pro Laicis successit, decreto diei 17 octobris 2016 nullitatem decisionis declaravit atque de damnis inde sarciendis statuit.

Exc.mus D.nus W, Archiepiscopus N., per Patronum suum, Cl.mum scilicet Advocatum Z, ad H.S.T. die 15 decembris 2016 provocavit, suspensionem quoque decreti impugnati quoad damna reparanda petens.

Actis a Dicasterio exquisitis iisque re-ceptis ac rimatis,

Supremum Signaturae Apostolicae Tribunal

Perfecto recursu atque re sedulo examini subiecta;

Viso praescripto can. 1720, n. 3, iuxta quod Ordinario, antequam decretum poenale extra iudicium ferat, de actione criminali haud extincta constare debet;

Considerato quod poenale decretum ab Exc.mo Archiepiscopo N. latum poenas ob delictum de quo in can. 1399 inflixit;

Attento quod impugnatum decretum nullitatem decisionis ab Exc.mo Archiepiscopo N. latae declaravit etiam ob actionem poenalem praescriptam;

Pro certo habito quod actio poenalis ob delicta de quibus in can. 1399 communi praescriptione triennali extinguitur; nam:

- praescriptum can. 1362, § 1 actionem poenalem ob delicta de quibus in can. 1399 a triennali praescriptione generali haud eximit;

- ratio can. 1399 a praescriptione haud relevat, iuxta pernotum principium «finis legis non cadit sub lege»;

- communis canonica iurisprudencia, cum qua doctrina pariter communis concinit, delicta de quibus in can. 1399 generali praescriptioni triennali obnoxia tenet (cf., exempli gratia, decretum in una Cordubensi in Argentina, Poenalis. Praescriptionis actionis poenalis, coram R.P.D. Ragni diei 16 februarii 1993, in *Rotae Romanae Decreta selecta*, vol. XI, pp. 25-33; sententia definitiva in una Poenalis, coram R.P.D. McKay diei 23 iulii 2010, in *Romanae Rotae Decisiones*, vol. CII, p. 316, n. 9);

Cum secundum communem ac constantem H.S.T. iurisprudenciam decretum illegitimum declarari nequeat si saltem una causa probata atque parferendo decreto habeatur (cf., exempli gratia, decreta Secretarii diei 17 septembris 2009, prot. N. 42790/09 CA; Congressus diei 7 novembris 2008, prot. N. 40073/07 CA; Congressus diei 18 iunii 2009, prot. N. 41700/08 CA);

Praetermissis ceteris forte animadvertendis;

Pertractatione recursus adversus stautiones de damnis ad ulteriora remissa;

Audito Rev.mo Promotore Iustitiae;

Vi art. 76, § 1 *Legis propriae* H.S.T.,

decrevit:

Recursum in limine reiciendum esse et facto reici, utpote indubie atque evidenter quovis fundamento carentem.

Adversus hoc decretum datur recursus ad Congressum intra peremptorium decem dierum terminum ab eodem recepto.

Et notificetur omnibus, quorum interest, ad omnes iuris effectus.

Datum Romae, e Sede Supremi Signaturae Apostolicae Tribunalis die 18 martii 2017.

✠ IOSEPHUS SCIACCA
Secretarius

Marius LEITE DE OLIVEIRA
vices Moderatoris Cancellariae gerens